



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Personius cur in Gallias, n. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320



HISTORIÆ PROVINCIAE ANGLICANÆ SOCIETATIS IESV. LIBER QVARTVS.

Postquam *Campiano* in vincula coniecto spes nulla supererat libertatis, *Personius* (cui missionis huius cura tradita fuerat) contulendos existimavit inter Sacerdotes qui primi habebantur, ad negotium Religionis inceptum prolequendum quid optimum esset? Iam præter *Jacobum Bosgrauium* & *Thomam Coriamam* (qui vnâcum *Campiano* de Majestate damnati dissimilem causâ exitum sortiti sunt, quemadmodum dicitur certo loco, *Gaspar Haywoodus*, & *Guilielmus Holtus* in subsidium venerant; Ipse *Personius* plures habebat libros præ manibus ad Religionis pietatisque firmamentum, quos in Anglia nemo in lucem edere, foris edendos suscipere, nisi ipso præente, nemo vellet; Cum *Alano* multa auebat conferre ad vltum Seminariorum, quæ nisi coram agerentur frustra agi videri possent, tum etiam promouere Commentaria in nouum Testamentum (quæ accepto loci nomine vocantur *Rhemensia*) ad quod opus ipse ab amicis collegerat nostræ pecuniæ trecentas libras; perpenderat in Sacerdotum Catholicorumque viuendi ratione plura de quibus doctorum hominum lententia videbatur exquirêda; Tum considerandum quid opis esse posset ad Scotiam in fide retinendam, quò Sacerdotem primùm secularem, deinde *Guilielmum Holtum* misisset; Multi denique magni nominis atque auctoritatis viri Catholici rogarant, vt quoniam Philosphicis Theologicisque studijs adiumenta Romæ ac Rhemis conquisita erant, primæ vero ætatis adolèscentes educandi instituendique in literis nulla esset in Anglia ratio

1582.
Personius
cru in Gal-
lias profes-
sus.

1582. glia ratio seiuncta ab ingenti periculo inficiendorum animorum, apud exteras nationes aliquam exoiaret constitueretque. Hæc vilia sunt cunctis momentis plurimum habere ad rem Catholicam promouendam; tum *Personium* commouerunt vt sublato *Campiano* iter in vicinas Gallias sulciperet, non diuturnæ moræ tempus (vt rebatur) habiturum. Rhotomagum vt tetigit, cōfestim in prælum dedit Epistolam consolatoriam ad Catholicos, Anglicè scriptam de persecutione: Defensionem etiam Censuræ aduersus Charcum; & librum qui inscribitur Directorium Christianum, seu de *Resolutione*. Qui liber post principia Christianæ Religionis de Deo, deque Christo homine, de bonorum & malorum post hanc vitam præmijs aut supplicijs luculenter exposita, virtuti in incitamenta reliqua cum proponat, & quæ ratione quæ impediunt sint tollenda demonstrat, dictione graui, & ad suadendum erecta, dici haud facile potest quanta acceptus fuerit auiditate, quanto cum animorum motu tritus, quanto cum fructu ab omni conditione & sexu ad hunc vsque diem perlegatur, quam denique multi huic vni libro acceptam referant suam in Ecclesiæ gremium reductionem. Etsi enim obiter tantum atque parcissimè per paucas quæstiones in controuersiam vocatas tangat, quia tamen in luce clarissima ponit vita Christiana qualis esse debeat, & quam nihili pendenda sint ea quæ illi amplectendæ aduersantur, consideratorum hominum mentes tanta rationum vi impellit ad id quod rectum est, vt (nisi peruersissimo sit quispiam ingenio) victas manus dare cogantur. Et sanè si aliud nihil egisset in omni vita *Personius* hoc vno opere æternam meritis fuisset apud suos gloriam, & vnus plus multis dicendus laborasse. De quo extat Patris *Guilelmi Barbei* Hyberni hoc testimonium.

Testimonium
Guillemi Barbei
de libro in scripto,
de Resolutione,

Primò: nunquam audiui de libro cuius sola lectio in nostrâ aetate, in hoc genere tot peperit fructus in Anglia, & Hybernia.

II. Inter plures hic radicaliter conuersos, multi erant homines durissimi cordis, vtpote vel hæretici, vel pessimæ contra conscientiam vitæ. III. Inter hæreticos hic ad lumen gratiæ reductos casu incidi in vnum tunc in suo itinere ab Anglia in Belgium, qui vehementi cordis compunctione mihi retulit, quomodo lectio huius libri impulsus venit ab Anglia ad inquirendam veram Religionem. IV. Magnus quidam Reginae consiliarius in Hybernia mihi familiaris, honoribus & deliciis mundi multis annis immerfus audiendo lectio huius libri, solet erumpere in voces insolitæ admirationis, dicendo sibi videri quasi impossibile hominem potuisse cum tanta energia scribere sine singulari adiutorio; & erat magni ingenij & iudicij; tantamque ex illa lectioe audita concepit compunctionem, vt vix quiescere potuerit donec cum consensu vxoris, ad magnam totius Regni admirationem, & ædificationem, publicè repudiat suis in Republica dignitatibus, ad vitam segregatam se contulit in loco solitario, ubi gratia lachrymarum redundans durante vita mirabilem egit pœnitentiam. V. In aliculo vidi quendam nobilem supra modum & menturam nugis facetijsque ineptis deditum, qui